S. pl. Magnam; Reverende et doctissime Vir; tædii, malevolorum calumniis allati partem,
πολλὰ χαρά, quibus nuperæ tuæ abundabant, levârunt. Gaudeo, me tot tantisque testibus
stipatum, ubicunque opus fuerit, contrariorum rumorum nubeculam discutere posse. Spero
tamen σοφοὶ esse, non ὀργὴν, ac proinde pariar fore ἀπολογήτον, ut cum Basilio
loquar. Νεφέλη γὰρ ἐστι, καὶ παρελεύσεται. Καὶ μοι ὡς ἄριστα, διὰ σε εὐχαρίστως.
Venerandus D. Decanus vester καταλλαγῆς, in eo, in quo nunc versatur, loco, idoneum in-
strumentum erit. Etsi autem ipse quoque surdo fabulas narraret, bonæ tamen consci-
entiæ, et virorum apud Vos præstantissimorum testimonium animum meum confirmaret.
Inprimis autem me consolatur ipsorum Alumnorum vestrorum, de qua nuper, diligentia,
et probitas. Certè, si malis egissem artibus, non tam feliciter hæc alea cecidisset. Sed
malo æterna in posterum hæc oblivione sepelire, quàm iis tibi molestus esse, vel me
ipsum conficere et excruciare. Patienter ferendum est, quod vitari non potest.
Peregrinationis eorum continuationem quod attinet, ego ipse sponte mea, non ab illis
rogatus, de Marpurgo scripsi. Cum enim existimârim eorum apud me terminum
ultra Septembrem, proximè instantem, extendi non posse, maturè satis de futura
μεταστάσει tecum agere volui. Neque existimo, illis eos privatis, publicis fortè,
rationibus ad mutandam studiorum sedem adduci. Subinde, et quidem singulis diebus
aliquoties, in Hebræis, Græcis, Theologicis eos exerceo. Avidè satis plerique institutio-
nem propinatam hauriunt. Unum Kampffium magis φιλόπονον desidero. Scio, quantâ
eum curâ complectaris; vidi, quàm paternè eum ad φιλοπονίαν excites. Stimulis
illis subinde opus habet. Calcaria ei addo. Ferias hasce Caniculares eum cum-
primis diligentissimè collocare jubeo. Monita successu non carent. Agi vult,
sed prudenter, et leniter, non vi trahi. Unde has ipsas querelas meas nunc quidem
abs te taceri cupio. Ita, ut spero, in posterum studia sua tractabit, ut neglecta
compenset, mihique materiam ipsum laudandi suppeditet. Mytterus et Schönholtzerus,
ut nôsti, thermis utuntur. Cum fine feriarum, earum quoque finem facient: Mytterus
fortè reditum suum maturabit, quia provincia, Oratione publica Auditores ad
labores ordinarios revocandi à Dn. Scholarcha ei demandata est.
Publica quod spectat, de Pace nostra adhuc ἐπέχω. Nondum est in rerum natura.
Monstra Deus avertat! Malumus aliena curare, quàm propria sanare mala. Quan-
tæ, quæso, dementiæ est, plus de foedere cum Gallo renovando, quàm de dubio et anci-
piti Patriæ statu de novo confirmando, cogitare? Si omnibus æquè perspectum esset,
quantopere et vera Religio, et aurea Libertas tali foedere labefactetur, profectò
non laboraremus. At multi cæcutire, quàm mala inde nascentia videre malunt.
Non desunt tamen, nec etiam deinceps in utroque statu viri boni, et Libertatis avitæ
amatores deerunt, qui fortissimis ex Spirituali armamentario telis Turrim hanc
Babylonicam prosternere conabuntur. Quòd si, præter spem atque opinionem,
sanguinem Helveticum vendere perrexerimus, tristissima nos fata manere
dubitandum non est. Româ scriptum est, factionem Hispanicam in ipsum bea-
tissimum Sanctissimumque Patrem, veneno tollendum: in Legatum Portugallensem,
trucidandum: in Reginam Sueciæ, in vincula conjiciendam; et in Urbem ipsam,
incendiis vastandam, conspirâsse, conspirationem autem maturè detectam fuisse.
Rumor fortè ἀκέφαλος est. Quis enim tantam morigerorum filiorum in opti-
mum Patrem credat esse impietatem? Cur non anathemata et fulmina talibus
expectanda

Rever. ac Præstantiss. Viro,
Dn. Sebastiano Hoeggero,
Scholæ Sangallensis Rectori,
et Ecclesiæ Ministro vigilan-
tissimo, amico peramander
colendo.
S. Gallen

expectanda eſsent? Conſtantienſes nostri non deſinunt de Suecorũ strage, et Polonorum victoria magnificè ſentire, et inſolenter gloriari. Tempus docebit, quam verè dicant. Gallus et in Italia, et in Flandria multa habet obstacula. In Calabria magni terræmotus obſervati. Sed ſatis. Quod ſupereſt, ut Tui ſtudioſiſſimum amare pergas etiam atque etiam rogo. Saluta Dom. Collegas.

Tiguri, XIV. Calend. Augusti,
MDCLVI.

R. D. T.

addictiſſimus

Joh. Casparus Suicerus.

118 121

S. pl. Reverende et Doctissime Vir, Quemadmodum hactenus mihi nihil molestius fuit, quam DN. Hottingeri falsum de candore meo opinionem prorsus ἀνιαρὸν κ' ἀπευκταῖον esse: ita nihil mihi luculentissimis testimoniis vestris gratius accidere posset. Desinam itaque in posterum taediosum illud negotium movere. Omnibus calumniis vestram opponam autoritatem. Conscientia murus mihi erit aheneus. Multis me modis Clarissimo, et Venerabili DN. Decano vestro, et doctissimo DN. Habero (quibus plurimam à me salutem) devinctum agnosco. Etsi surdo narrârint fabulam, bonorum tamen Virorum officio diligentissimè defuncti sunt. Nec magnum damnum reputo, unius amicitiae jacturâ, plures amicos, eosque fortissimos fidelissimosque acquirere: quorum favori, et eximiae benevolentiae utinam meum semper responderet studium! Omni autem ope annitar, ut re ipsa, animum mihi nunquam defuisse, experiamini. Occasionem novam, id praestandi, Vos ipsi mihi offertis amplissimam. Alumnos quippe Vestros proponi curae meae multis concreditos. Certissimum optimae de me spei vestrae indicium. Propositū fortè non inutile futurum. Hactenus enim quasi cū ἀρχαρίοις mihi cum ipsis subsistendum fuit. Nunc demum, primis difficultatibus perruptis, ad interiora et altiora progredi licebit. Consilium tuum de frequenti exercitio epistolico vehementer approbo. Nihil enim latiorem ad consequendam styli puritatem viam pandit et concinnat, nihil virum doctum magis ornat, quàm praeclara et elegans Epistola. Ab hoc ipso igitur momento eos sedulò in hoc studii genere exercebo. Profectum proximè, σὺν θεῷ, videbis. Calcaria abs te Vir. Nrä admota esse gaudeo. Admovebo et ego. De novo foedere Gallico tecum sentio. Quidquid tandem decernatur, quaecunque conditiones ferantur, frustrà laboratur. Rex multa promittit, multa promittunt nostri: nihil praestatur. Exempla praeteritorum temporum hoc non tantùm testantur, sed etiam clamant. Quales sint Articuli nunc non disputo. Si fundamentum sit à Religione orthodoxa alienum, qui ea, quae illi superstruuntur, Deo grata esse possint, non video. Alienae libidinis servos nos facit hoc foedus: libertati Helveticae inimicum est. Utinam piorum Majorum vestigiis insisteremus! Omnes agnoscimus, tale foedus periculosum esse. Cur ergo, quae periculi plena sunt, splendidis titulis ornamus? Cur illos, de quibus Deo ἐν τῇ τῆς κρίσεως ἡμέρᾳ nobis reddenda ratio est, praesentissimo periculo objicimus? Experientia docebit, nec Gallum, nec nostros milites naturam ingeniumque mutare. Sunt quidem, qui sperant, Gallum praescriptas conditiones, vel potiùs oblatas, non esse accepturum. Hoc ipsum multos bonos maximè reddit solicitos. Vix enim deerunt, qui, studio Liligero gratificandi, omnem lapidem movebunt, ut ei in omnibus satisfiat. Res nostrae eodem semper loco sunt. Nostrorum quoque vicinorum insolentia in dies crescit. Hi odiosae procrastinationis fructus sunt. Deus meliora! Haec habui, quae ad Tuas gratissimas responderem. Saluta venerandos et charissimos συναδέλφους tuos officiosissimè. Ecclesiae et Scholae vestrae diu vive, et me amare perge. Tiguri, III. Calend. Septembris, Ao. 1656.

Revae. Tuae

addictissimus

Joh. Casparus Suicerus.

Reverendo et doctissimo Viro, Domino DN. Sebastiano Höggero, Gymnasii Sangallensis Rectori, et Verbi Ministro dignissimo, Fratri in Christo plurimum colendo.

Sangalli.